

DE PROPORTIONIBVS LIB. V.

proportione a c ad d, relinquetur proportio ab ad d. & probatur ex conuersione præcedentis.

Sextadecima diffinitio.

Extractio radicum alicuius proportionis fit per extractionem radicum quantitatum illius iuxta unam, & eandem rationem.

Velut quadratæ, uel cubæ, uel pronicæ, uel uniuersalis, uel alterius modi.

Decimaseptima diffinitio.

Cum fuerint duæ proportiones similes in tribus terminis continuatæ, dicetur proportio primæ quantitatis ad tertiam ueluti primæ ad secundam duplicata. Et si sint tres proportiones similes in quatuor terminis, dicetur proportio primæ quantitatis ad quartam triplicata ei, quæ est primæ ad secundam,

Decimaoctava diffinitio.

Confusa proportio dicitur simplicis, aut compositæ quantitatibus ad compositam in comparatione ad proportiones ad partes.

Decimanona diffinitio.

Quantitates quæ in continua sunt proportione Analogæ uocant.

Dictum est hoc ad fugiendum nomen barbarum, etiam ut breuiter tamen possemus sententiam explicare.

Vigesima diffinitio.

Reflexa proportio dicitur cum trium quantitatum aggregatum primæ, & tertiae se habet ad secundam uelut secunda ad tertiam,

Vigesima prima diffinitio.

Trium quantitatum analogarum aliæ quidem Geometricæ, cum proportio similis est: Aliæ Arithmeticæ, cum fuerit æqualis excessus hucindè: Aliæ musicæ cum fuerit proportio primæ ad tertiam multiplex, aut simplex, aut composita excessus quæ simpliciuncta sit ad multiplicis perfectionem: eadem autem sit proportio excessus primæ, & secundæ ad excessum secundæ supra tertiam.

Velut proportio 6.4.3 dupla est utrinq; & 6.3.2 tripla. & 28.24. 21. & 45.40.36. Geometrica uero & arithmeticæ facilius continuantur in quotquot quantitatibus, sed & musica uelut 12. 8.6.4.3. & proportio 8 ad 5 musica est: quia proportio 5 ad 4 musica est, & bene sonans, igitur constitutis 8.5.4. cum 8 ad 4 benè sonet, & 5 ad 4, & 4 sit extrema non media inde 8. & 5 benè sonat. nam in medijs nō est uerū, ut in 9.6.4 bis diapente, & 16. 12. 9 bis diatessaron.

Vigesima secunda diffinitio.

Quantitates quæ similem habent proportionem non continua- tam, omiologæ appellantur.

Vigesima tertia diffinitio.

Prima operatione consistere dicuntur proportiones, cum inter primo conflatas quantitates constiterint.